

CHRISTIANI WOLFII
JUS NATURÆ
METHODO SCIENTIFICA

PERTRACTATUM,

PARS TERTIA,

DE MODO DERIVATIVO

ACQUIRENDI DOMINIUM

ET JUS QUODCUMQUE PRÆSERTIM IN RE ALTERIUS:

UBI ET AGITUR

DE OFFICIIS CIRCA SERMONEM,

JURAMENTIS AC VOTIS,

NEC NON USUCAPIONE ET PRÆSCRIPTIONE

ET NUNC PRIMUM CUM

VIRI CL. DE VATTEL

ANIMADVERSIONIBUS:

EDITIO NOVISSIMA EMENDATIOR, ET AUCTION.



FRANCOFURTI, ET LIPSIAE,
MDCCLXV.

ÆRE SOCIETATIS VENETÆ,
SUPERIORUM FACULTATE, AC PRIVILEGIIS.

Serenissimo ac Potentissimo Principi ac Dom. Dom.

FRIDERICO REGI BORUSSIÆ,

Margravio Brandenburgensi, Sacri Romani Imperii Archi-Camerario & Principi Electori, Supremo Silesiæ Duci, Principi Supremo Arausionensi, novi Castri & Valengiae, nec non Comitatus Glacensis Geldriae, Magdcburgi, Cliviae, Juliaci, Montium, Stetini, Pomeraniae, Cassubiorum, Vandalorum & Megapolis, nec non Crolnæ Duci, Burggravio Norimbergensi, Principi Halberstadii, Mindenæ, Camini, Vandalii, Suerini, Raceburgi, Ostfrisiæ & Mursii, Comiti Hohenzollerae, Ruppini, Marcæ, Ravensbergi, Hohensteini, Tecklenburgi, Suerini, Lingæ, Buræ & Leerdami, Domino Ravensteinii Kostochoii, Stargardiæ, Lavenburgi, Butoviæ, Arlayæ & Bredæ &c. &c. &c.

REGI AC DOMINO MEO LONGE CLEMENTISSIMO.

R E X A U G U S T E .



*F*ides, firmissimum illud societatis humane vinculum, non modo privatis, verum etiam populis, eorumque Rectoribus sanctissima esse debet. Quodsi enim ea ab omnibus intemerata tenaciter conservetur, maxima inde in totum genus humanum redundat utilitas. Ea de causa omni tempore fides maxime habita, nec quicquam magis exosum fuit perfidia. Supremi etiam verum in terris Moderatores baud postremam gloriæ suæ partem hanc fecerunt, quod fidem servarent. Exemplum est AUGUSTUS, qui se bonæ fidei esse professus est probe gnarus, quod non efficacius detur medium, quo summæ Potestates & subditorum, & Gentium animos sibi conciliare valent, quam servando fidem. Urget eam æternum illud ac Immutabile Jus, quo Gentes inter se utuntur, & quæ de eodem in presenti opere demonstrantur, in eandem tanquam centrum collineant. Quamvis autem fides non minus dictorum veritatem, quam constantiam requirat; baud raro tamen & simulandum, & dissimulandum est, ita ut jam olim in proverbium abierit: nescit regnare, qui simulare nescit, & taciturnitas, inter præcipuas illorum virtutes locum



JURIS NATURÆ

PARS TERTIA.

De Modo Acquirendi Dominium & Jus quodcumque, præsertim
in re alterius, derivativo.

CAPUT PRIMUM.

De Modo acquirendi derivativo in genere.

§. 1.



Siquis acquirere debet dominium vel jus quoddam proprium ab alio, necesse est ut hic dominium vel jus istud in ipsum transferat. Quoniam enim nemini dominium rei suæ (§. 338. part. 2. Jur. nat.), nec jus quodcumque aliud acquisitum invito auferri potest (§. 336. part. 2. Jur. nat.); dominium vel jus quod alteri competit, tuum fieri nequit, nisi is velit, ut jus sibi competens sit tuum, consequenter verbis vel factis hanc voluntatem, quæ sibi est, sufficienter declarat. Enimvero qui verbis vel factis sufficienter declarat, se velle ut jus, quod sibi competit, sit alterius, jus suum in alterum transfert (§. 661. part. 2. Jur. nat.). Quamobrem si tu acquirere debes dominium, vel jus quoddam proprium ab alio, necesse est ut hic dominium vel jus istud in te transferat.

Quomodo dominium vel jus proprium acquiratur ab alio.

Ex. gr. Si liber meus est, tuus fieri nequit, nisi ego velim, ut sit tuus, adeoque sufficienter indicem, me hoc velle, consequenter nisi ego dominium ejus in te transfero (§. 661. part. 2. Jur. nat.). Similiter mihi competit jus re mea utendi (§. 136. part. 2. Jur. nat.), nec pati te-

neor, ut tu eadem me invito utaris (§. 221. part. 2. Jur. nat.). Quamobrem si tibi competere debet jus eadem utendi, necesse est, ut ego velim, tibi esse debere jus re mea utendi, consequenter jus utendi in te transferam (§. 661. part. 2. Jur. nat.).

§. 2.

Accipere vel acceptare dicimur, quod ab altero offertur, si verbis vel factis (sub quibus etiam non facta comprehenduntur) sufficienter declaramus, quod dari vel fieri velimus, quod alter se dare vel fieri velle sufficienter verbis vel factis declarat.

Acceptatio quid sit.

Wolffii Jus Naturæ Tom. III.

A

E. g.

QUÆSTIONES
DE JURE NATURALI
CUM ANIMADVERSIONIBUS IN OPUS
C L W O L F I I
DE JURE NATURÆ
AUCTORE
DOM. DE WATTEL

Ex Gallico in Latinum conversæ:



CL. DE WATTEL
 QUÆSTIONES
 DE JURE NATURALI
 ET ANIMADVERSIONES
 IN CL. WOLFIUM
 DE JURE NATURÆ
 PARS QUARTA.

~~~~~

§. 39.

*Beneficiarius amare debet benefactorem ob beneficia sibi tributa.*

**D**Emonstratio propositionis hujus probat, tantum benefactorem natura ipsa suadente amari. Sed probandum erat, amandum esse propter beneficium. Probari autem potest ita: debemus actiones liberas conformare finibus naturæ, ideoque illas determinare per easdem rationes finales, quæ actiones naturales determinant. Amor autem est sensus, quem nobis natura indidit, erga quodcum-

que nobis est utile, quotiescunque ignotum non est, ut illud appeteremus. Debemus ergo ita sumere bonum nobis factum, ut ejus auctorem amemus.

Ecce rationem aliam magis speciosam. Auxilio aliorum procul indigemus: ut illud obtineamus oportet nos reddere gratos alios, idest benefactores amare; ingrati enim odiosi sunt.

*Benefactorum amandi.*



# JURIS NATURÆ

## PARS QUARTA.

De Actibus ad aliorum utilitatem tendentibus in specie, ubi de donationibus, contractibus & quasi contractibus.

### CAPUT PRIMUM.

*De Actibus mere beneficis, qui in præsens absolvuntur, ubi etiam de Donationibus.*

#### §. 1.



**O**mnis actus aliis utilis vel in dando, vel in faciendo consistunt. *Quales sint actus alii utiles.*  
Introductis enim rerum dominiis, homo non habet, quod suum est, nisi res tam corporales, quam incorporales, quæ sunt in dominio ipsius (§. 216. part. 2. Jur. nat.), & actiones liberas, quæ rebus in dominio ipsius existentibus æquipollent (§. 436. part. 2. Jur. nat.). Nullus itaque concipi potest actus humanus, quo alterius utilitatem promovere possit, nisi ut in alterum vel dominium rei cujusdam suæ sive corporalis, sive incorporalis transferat, consequenter aliquid det (§. 675. part. 2. Jur. nat.), aut ut in gratiam alterius quid faciat. Quamobrem actus omnes aliis utiles vel in dando, vel in faciendo consistunt.

Ostendimus hominem alteri sese obligare non posse nisi ad dandum, vel faciendum eodem modo (§. 352. part. 3. Jur. nat.). Sive igitur actus quidam in præsens absolvatur, sive ad eundem te obliges ut in futurum promineat, aut is in dando, aut in faciendo consistere debet.

#### §. 2.

**A**ctus simplices sunt, qui resolvi nequeunt in plures, quorum unus absque altero, vel ceteris esse potest. *Actus simplices & compositi.*  
**C**ompositi vero sunt, qui in plures resolvi possunt, quorum unusquisque per se subsistere potest.